

Otto Grothuss von

**ORATIO || ADVERSVS EOS QVI || ELOQVENTIAM CON-||TEMNVNT.|| Jn Collegio  
Oratorio publico Cla-||rißimi viri M. Joannis Simonij,|| Professoris Oratoriae in  
Acade-||mia Rostochianâ publici,|| recitata || ab || OTTONE à GROTHVSEN ||  
Liuno.|| pridie Nonas Febr.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1600

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1703772377>

Druck Freier  Zugang



Ornith.

Rostock 1600.

3261.




Universitäts  
bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1703772377/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1703772377/phys_0001)

*Ac - 3261.*





17.15.  
O R A T I O

ADVERSUS EOS QUI  
ELOQVENTIAM CON-  
TEMNUNT.

In Collegio Oratorio publico Cla-  
rissimi viri M. Joannis Simonij,  
Professoris Oratoriae in Acade-  
miâ Rostochianâ publici,  
*recitata*

ab

OTTONE à GROTHUSEN  
Liuno.

*pridie Nonas Febr.*



ROSTOCHII,  
Typis Myliandrinis, M. D. C.


Ac-3261

Illustrissimis atq; Celsissimis principibus a  
Dominis, Dn. FRIDERICO & Dn. GVLIEL-  
MO, fratribus Germanis, in Liuania, Curlan-  
diæ ac Semigalliæ ducibus, principibus  
ac dominis meis clementissimis.

**I**nter cætera plurima, eaq; præclara atq; egregia dona,  
quæ DEVS optimus maximus humano generi concessit,  
non minimum neq; postremū est Eloquentia: quæ & Ecclesiæ  
& rebus pub. maximum commodum, vtilitatem non par-  
uam, ornamentum deniq; ac decus insigne affert. Itaq; cum  
præceptor meus, M. Ioannes Simonius, vir doctissimus, ora-  
torie in hac Academia professor publicus, cum ratione of-  
ficii, tum pro amore suo in studiosam iuuentutem, collegium  
oratorium publicum in hac celeberrima Academia aperuis-  
set: Ego quoq; ab eo exercitio abesse neq; potui neq; debui,  
primamq; eius collegii, quam ex informatione præceptoris  
mei scripseram, orationem recitavi. Cuius editionem cum  
& præceptor meus & alii nonnulli à me flagitarent: existi-  
mabam iis morem esse gerendum potius, quam vt maleulo-  
rum voculationes nimū timidè pertimescerem. Hanc vestris  
Celsitudinibus, Celsissimi atq; Illustrissimi principes, tan-  
quam patribus patriæ, & à literarum cultura non alienis,  
& Dominis meis clementissimū, submissè offero: & quanta  
par est, animi obseruantia rogo, vt hoc meum studium cle-  
mentissimo fauore prosequi, meq; suum clientem, pro heroica  
virtute sua, aduersus Sycophantas defendere, non dedi-  
quantur. B.V. vestræ Celsitudines. Rostochio. 14. Kalendas  
Martii. Anno. 1600.

V V. CC. subditus & cliens

Otto à Grothusen.



Quod felix faustumq; sit, Nobilis adolefcens OTTO à GROTHVSEN, eques Liuonus, exercitij Oratorij; quod eruditione, nobilitate & virtute præstantes aliquot viri—iuuenes atque adolefcentes, me qualicunq; vel duce vel comite, instituerunt; initium faciet, & cras h. 9. in auditorio Philofophici collegij boreali recitabit Orationem,

*Aduerfus eos, qui Eloquentiam contemnunt.*

Ad quam non folum audiendam frequentes vt conueniant, verum etiam fimilibus in materijs idem Virtutis & Eloquentiæ studiosi præftare conentur, officiofè & amanter rogo & hortor

*Johannes Simonius.*

*M. D. C. 3. Non. Febr.*

A 2

Aduerf



Aduersus eos qui eloquentiam  
contemnunt.

## ORATIO.



*I quisquam in hoc ornatissi-  
mo confessu, ac spectatissi-  
mâ doctissimorum adole-  
scentum coronâ esset, cuius  
animum admiratio subiret,  
quid sit, cur ego, præ cateris ornatissimis  
adolescentibus, & viris iuuenibus, qui  
mecum una hac dicendi exercitia suscepe-  
runt, potissimum surrexerim is, qui neq;  
eloquentiâ, neq; ingenio, neq; eruditione,  
sim cum reliquis comparandus: causas  
huius mei instituti afferrem, easq; mul-  
tas, & ut opinor, graues: utererq; oratio-  
ne eâ, quâ meam hanc tantam, si qua est,  
& iuuenilem apud vos audaciam excu-  
sarem.*

sarem. Sed quia vestra, auditores, mihi  
singularis humanitas cognita, eruditio  
insignis perspecta, candor eximius minimè  
dubius est; in istis virtutibus vestris, tam  
praclaris atq; egregijs, acquiescendum  
mihi, atq; in caput cause inuadendum po-  
tius, existimabam, quàm ut longis am-  
bagibus vos detinerem, & verborum le-  
nocinijs aures vestras demulcerem.

Statui autem hoc tempore, in exordio  
harum exercitationum, coram vobis, o-  
mnis eloquentiae candidatis, et cultoribus,  
quoad mea facultas tulerit, aduersus eos  
dicere, qui Eloquentiam contemnunt, &  
minime ei operam dandam esse clami-  
tant: eosq; firmissimis rationibus refutare  
decreui. Quod dum facio, te Clariss. Dn.  
Praeses, vosq; ceteros auditores doctissi-  
mos, ac spectatissimos oro & obtestor, ut  
hanc meam oratiunculã, quàm maximè

A 3

beni-

*benignis auribus accipere non grauemini.*

*Principio vero ac imprimis illud mihi maxima reprehensione, nec vituperatione iniusta dignum videtur, quod isti summam ac singularem dicendi facultatem, ingenij ubertatem, rerum atq; sententiarum grauissimarum copiam, quam Eloquentiam vocamus, ventosam quandam iactantiam, ac ostentationem inanem esse, affirmare non verentur. qua in re homines imperitos ac rudes, consilij, humanitatis, ingenij, ac litterarum expertes, nimia sua sapientia, summam inscitiam, atq; impudentissimam calumniam, prodere, quis non videt? Cum n. singularem illam ac prope diuinam de omnib. rebus, tum diuinis, tum humanis, dicendi facultatē, inanem ostentationem appellent; perspicuum est, & meridiana, quod dicitur, luce clarius, eos nimis imperitē, ne dicam, flagitiosē, &*

sè, & improbè, de tanta re iudicare. Quis  
quaso est, tam rudis, tam stupidus, tam  
mentis acrationis expertus, qui non intelli-  
gat, videat, sentiat, aliud esse iactantiam  
& ostentationē, aliud Eloquentiam? quis  
tam impudens, quis tam stultus, tam à  
mente sua deturbatus, qui hasce inter se  
maximè diuersissimas res, vnā & ean-  
dem esse, affirmare audeat? nemo profe-  
cto opinor, nisi qui tenebras lucem; turpi-  
tudinem honestatem; insciam et rudita-  
tem, sapientiam; deformitatem pulchritu-  
dinem; album deniq; nigrum, dicere cone-  
tur. quid enim in ostentatione inani rerū  
subest? nihil in ea de vita & moribus; ni-  
hil in ea de natura & rebus occultis; nihil  
in ea de differendo, & quid verum &  
quid falsum, quid rectum in oratione, quid  
prauum, quid consentiens, nihil in ea habe-  
tur. tota ostentatio inculta est, tota de-

ferta est: nulla eius pars frugifera, nulla  
fructuosa: nullus in ea locus ferax est  
præceptorum, quæ, vel ad DEI cultum,  
vel ad modestiam, magnitudinẽq; ani-  
mi nos erudiant: quæ ab animo tanquam  
ab oculis caliginem dispellant, ut omnia  
supera, infera, prima, ultima, media vide-  
remus. At Eloquẽtia, quæ pacis est comes,  
ocij socia, & bene constituta ciuitatis, qua-  
si alumna quædam, ea grandis est verbis,  
sapientis sententijs, genere toto grauis.

Non nego, non inficior, eum, qui projicit  
ampullas, et sesquipedalia verba, ut Flac-  
cus ait, reprehendendum & non ferendũ  
esse: verborum inanem ostentationem esse  
culpandam. Nihil est enim tam furio-  
sum, tam flagitiosum, quam verborum  
inanis sonitus, nulla subiecta scientia vel  
sententia. At, quid nostræ Eloquentiæ  
rei est, cum isto verborum sonitu, quæ non  
nisi res maximas edisserit? Num

Num aliquid maius esse potest ea do-  
ctrina, quæ DEVM nos docet? DEVM  
illum, qui dominantium & dominorum  
est Dominus, DEVS Deorum, & Do-  
minus exercituum, scrutans corda, pro-  
bans renes, qui nouit omnia antequam  
fiant, oculus qui contemplatur bonos &  
malos, semper vigil, qui est thesaurus to-  
tius cognitionis, fortis, potens, omnipotens,  
rex regum, rex sempiternus, antiquus  
dierum, protector, magnus Dominus &  
laudabilis nimis, vita vniuersorum, cau-  
sa causarum, qui est DEVS PATER,  
DEVS FILIUS, DEVS SPIRI-  
TVS SANCTVS, vnus DEVS,  
principium omnis principij, cadentes eri-  
gens, corruptos innouans, stantes corrobo-  
rans, ad se accedentes subleuans; perfectio-  
rum perfectio: simplicium simplicitas, vni-  
torum unitas, senectutis expers, immuta-

bilis, immortalis. Quid admirabilius est  
ea doctrina, quæ tradit **FILIVM DEI**  
genitum esse à patre ab æterno, sacrosancto  
& adorando, & ab omnium hominum  
atq; angelorum intelligentia semoto par-  
tu, in quo nihil mortale, nihil ex terrestriũ  
consuetudine, nihil inæquale aut dissimile,  
nihil prius aut posterius: sed diuinissima et  
angustissima omnia? quid admirabilius?  
filium Dei, qui est Lucifer ante luciferũ,  
qui est candor lucis æternæ, patri consub-  
stantialis, lumen de lumine, Deus verus  
de Deo vero, descendisse de cælo, factum  
esse hominẽ incarnatumq;? O prædicandũ  
& ineffabile mysterium! Omnipotens ex  
ex omnipotente, corporis expers, cælum &  
terram implens, fit verbum corporatum,  
quod & oculi videre, & aures audire, &  
manus atrectare, & brachia circumferre,  
& labia dissuaniari possent. Virgo parit,  
paritur

paritur Deus: osculantibus inter se, diuinitate et humanitate, virginitate et fecunditate: Et tamē hic filius, matris suæ parēs est, quæ reuera, natura admirante, genuit suū genitorē, et aluit ubere de cælo pleno à quo ipsa alebatur, Et quanq̄ generatur, in male olenti caula, Et recubat super fœno, et verba nō format, et vagitibus indulget, et linteolis vilibus ac laceris inuoluitur, Et caret turba famulorū; idem nihilominus, in sublimi per agmina volitantum Et triumphantum maiestatem indicat, Et fulgentissimi sideris nouo atq; inusitato ortu, Magos ab oriente ad sese adorandum Et muneribus honorandū accersit.

Descendit a. filius DEI de cælis propter nos propterq; nostrā salutē, ut nos seruitute durissima liberaret, ex ergastulis immanissimis eriperet, quæstionib. deniq; perpetuò nos mansuris subduceret. O eximiam Dei  
sbari-

charitatem erga homines! O donum im-  
mensum! dimisit DEVS, ignorantibus  
doctorem, aegrotis medicum, captiuis asser-  
torem, errantibus ducem, mortuis vitam.  
Quenam facundia tantum, tamq̃, ineffa-  
bile beneficium enarrabit? propter nos læ-  
titia meret: propter nos iucunditas plorat:  
propter nos vigilia dormit, fons sitit, satu-  
ritas esurit, copia indiget. Propter nos &  
propter nostram salutem DEI filius funi-  
bus & catenis arcte constringitur, validè  
percutitur, furenter hinc illinc, nunc ad  
Annam, nunc ad Caipham, modo ad Pi-  
latum, modo ad Herodem, rursus ad Pi-  
latum, rapitur, trahitur, protruditur: ac-  
cusatur mendacissimè, ridetur effusissimè,  
velatur oculos turpissimè: ceditur faciem  
atrocissimè: conspuitur, flagellis concidi-  
tur, spinis coronatur, per ridiculum ado-  
ratur, contunditur, condemnatur, ad sup-  
plicium

placium rapitur, ferreis clavis cruci affigitur, moritur, tertiâ die spoliatis inferis, triumphator exsurgit, suâ vi ac potestate cœlos ascendit, & nunc in gloria ad Dextram DEI PATRIS confidens inenarrabilibus gemitibus orat pro nobis, venturusq; est iudicare viuos & mortuos.

*Sed, quo feror? quo abrior, auditores, magnitudine beneficiorum diuinorum? quæ nobis Theologia plenis manibus suppeditat. Atqui hæc omnia sibi oratione comprehendenda, verbis optimis expolienda, veritatis colore exornanda, vestiendaq; sumit Eloquentia. Taceo hanc amplam, ingentem, spatiosam machinam: hanc operosam, immensam, propemodumq; interminatam molem, quam propter partium ac veluti membrorum varietatem incredibilem, ordinem, consensum, elegantiam, perfectionem, gubernationem*

tionem; ut quisque ingeniosissimus ac  
sapientissimus est, ita plurimum admi-  
ratur: mundum inquam istum, quem  
nec seipsum fabricasse, nec ab infinito  
tempore aeternitatis extitisse, sed ex ni-  
hilo à DEO factum esse, eadem doctri-  
na testatur. Præterea cætera, quæ de  
vniuersi aeterni triniq[ue] DEI providen-  
tia: de primi hominis crimine, in po-  
steros homines letali contagione transfuso:  
quæ de lege DEI, de pœnitentia, de gra-  
tuita remissione peccatorum, de fide iusti-  
ficante, quâ Christi meritum & beneficia  
sibi homines, per verbum & S. S. rege-  
nerati, applicant, & ad suæ salutis aucto-  
rem sese adiungunt: quæ de bonis operi-  
bus, hoc est, de pijs Sanctorum actionibus,  
virtutumq[ue] officijs, præstandis ab ijs, qui  
Christi disciplinam profitentur: quæ de  
consolationibus opponendis cruci & cala-  
mita-

mitatibus. quæ de die, quo in vitam v-  
niuersum genus humanum reuocabitur,  
& Christus ad iudicium exercendum ve-  
riet: quæ deniq; Theologia habet de vi-  
ta æterna, in quâ absterget DEVS o-  
mnem lachrymam ab oculis piorum, &  
mors ultra non erit, neq; luctus, neq; cla-  
mor, neq; dolor erit ultra; ubi pios gaudia  
circumfluent, gaudia, quæ nec visa cui-  
quam sunt mortalium, nec auribus,  
arrepta, nec mente vnquam tractata,  
quæ illic vigent, viguerunt, vigeant,  
spacijs seculorum innumerabilium.  
Hæc omnia silentio inuoluo. in quibus  
tamen omnibus, Eloquentia mirificè  
se effert, suas opes magnificè ostentat,  
suæq; illa diuinitatis dicendi myrotecia,  
immanè quantum explicat. Quid  
dicam de politicis rebus, quæ non mi-  
nus eloquentiæ, eiusq; imperio subiacent?

ut

ut sunt vectigalia, ut bellum, ut pax, ut  
custodia regionis, ut ea quae importantur  
& exportantur, ut denique leges: quae qui-  
dem res eiusmodi sunt, ut iis omnis reip.  
status, secundum pietatem, quae est civi-  
tatum anima, contineatur.

Vectigalia nervi sunt reip. & pacis  
ornamenta, & subsidia belli. Neque enim  
quicquam eximium prestare potest ea ci-  
vitas, quae non magna vectigalia possidet.  
Quid dicam de pace & bello? pax optima  
rerum, quas homini novisse, datum est,  
inquit Poeta: & tamen in militari quoque  
virtute, omnes urbanae res, in praesidio bel-  
licae laudis, omnia quae in vita sunt pracla-  
ra latent. Neque verò satis est, imperium  
acquirere, & amplificare, nisi rectè etiam  
custodiatur. ideo rectè dicit Ovid.

Non minor est virtus, quam querere, parva tueri.  
Vituperatur hac in re Pyrrhus Epirota-

rum

num rex, alioqui summus imperator, quod multas quidē ciuitates bello subigeret, sed, quia non eas custodiebat, facile amitteret. potior autem cura esse debet, ut ea, quæ habemus, conseruemus, quam ut alia acquiramus. Porro, quid tam necessarium est reip. quam alia importari, alia exportari? cum enim nulla ferme sit regio, quæ ferat omnia, quæ sint ad vitam degendam necessaria, fit, ut egeant omnes importatione rerum exterarum: Et, quia multæ sunt feraces, quæ possint alijs etiam regionibus annonam suppeditare, opus est exportatione. Deniq; in legibus ciuitatis est salus, Et sine illis nulla ciuitas diutius stare potest. Has ergo res maximas eloquentia quoq; suo ambitu complexa est. quid vectigalia imperat vel abrogat? Eloquentia. quid Bellum, vel iustum excitat, vel iniustum de manibus excutit?

B Elo-

Eloquentia. quid pacem ornat? Eloquentia qu  
tia. Eloquentia tractur parta: Eloquentia m  
de importandis & exportandis deliberat, S  
Eloquentia de legibus ferendis consultat. di  
Præterea Iurisprudentia æquum ab ini- el  
quo discernit, iustum ab iniusto separat: E  
Poëtæ prodesse volunt aut delectare, aut C  
simul & iucunda & idonea dicere vitæ. co  
Philosophia deniq; omnem, virtutis, offi- lo  
cij, beneq; & innocenter viuendi disci- re  
plinam continet, omnium bene factorum, m  
beneq; dictorum quædam q. mater. Quid ve  
in his quaeso est, quod Eloquentia non at- to  
tingat? quid in his q; sine Eloquentia non no  
sit q. inter mortuū? quod in squalore ac te- ru  
nebris, sine oratione perspicua, pura & or- tia  
natâ non iaceat? **DEVM** Immortalem, de  
quas gazas eloquentia ostentat! quas D  
merces! quos thesauros! plus quam Pa- ta  
Etoli opes, plus quam talenta Pelopis. Itaq; m  
qui

en. qui verè Eloquentiæ laude floruerunt ho-  
tia mines, ijdem sapientissimi quoq; fuerunt.  
rat, Sophista quidem cordis & linguæ primum  
tat. dissidiũ fecerunt: sed tamen nihil sapit &  
ini- elleboro indiget is, qui ita sapit, à sapientiã  
rat: Eloquentiam sciungi posse. Vnum mihi  
aut Ciceronem aspiciate; qui apud posteros id  
ite consecutus est, ut iam non hominis sed E-  
offi- loquentiæ nomen habeat; q̄ varia, quam  
isci- recondita, quam multiplex est in ipsius  
um, monumentis eruditio? ut, si vera fateri  
uid velimus, dicendum nobis sit, eius scripta  
at totam fermè & veterum Academicorũ et  
non nouorum, & Peripateticorum, & Stoico-  
te- rum, & Epicureorum, aliorumq; senten-  
or- tiam continere. Quam piè, si hanc vocem  
em, de Ethnico usurpare fas est, multis locis de  
uas Deo locutus est, ut admirabile videatur,  
Pa- tam liquidas eũ, tanta maiestatis, ab hu-  
aq; manis sensibus remotissimæ, intelligentias  
qui

B 2 ha

crec  
nis la

habuisse. Dicitur non potest, quanta in libris  
ipsius veterum ac recentiorum historia-  
rum cognitio, quanta optimorum exem-  
plorum copia, quam deniq; multa lectio,  
quam ingens sanctissimorum praeceptorū  
multitudo. *Quem iracundiā inflamma-  
tum Ciceronis oratio non flecteret? quem  
d durum non leniret, quem adeo maestum  
non consolaretur? Libros de officijs Plini-  
us non modò de manibus nunquam depo-  
nendos, sed ediscendos etiam censet. A-  
lexander Severus, Imperator, eosdem  
de repub. libros praecipuè legebat. De  
quibus libris, ut item de Tusculanis  
de finibus verissimè quisquam Horatio-  
nas illas voces usurpauerit:*

*Feruet avaritia, miseraq; cupidine pectus?  
Sunt verba & voces quibus hunc lenire dolorem  
Possis, & magnam morbi deponere curam.*

*Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quæ te  
Ter purè lecto poterunt recreare libello.*

*Inuidus, Iracundus, Iners, Vinosus, amator:  
Nemo*

Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,  
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Fam in defensionum atq; accusatio-  
num libris illis, non tantum omnes bene  
dicendi arcula explicata sunt, sed res et-  
iam in ijs tractantur, perdigne auribus  
eruditis, & amplitudine atq; bonitate  
suâ verborum magnificentiam atque  
splendorem exaquant. Sive enim ad  
diuina respicias, sive ad religionem Eth-  
nicorum Romanam, sive ad ius civile, si-  
ue ad veterem rerum, à Romanis pariter  
& Græcis gestarum, memoriam, sive ad  
omnem orbis & orbis Romani statum,  
sive deniq; ad Philophiam respicias: ho-  
rum omnium cognitione singulari instru-  
ctum ad causas venisse Tullium, ex  
omni rerum genere cumulata oratione  
ipsius animaduertes. Prætereo diuissimi  
illius viri Epistolas, in quibus, quid

B 3      illis

illis ad Lentulum humanius? ad Mem-  
mium aliosq; officiosius? ad plurimos,  
quibus in aduersis rebus consilium & so-  
latium impertitur, beneuolentius atq; fi-  
delius? ad Terentiam mollius? ad Tiro-  
nem dulcius? in iisdem, quando gratulatur,  
quam sincerus? quando petit, quam vere-  
cundus? quando iocatur, quam urbanus?  
quando gratias agit, quam nullius meriti  
oblitus? quando commendat quempiam,  
quam sollicitus? quando narrat, quam aper-  
tus? quando monet, quam grauis? Vox  
me deficeret prius, quam omnes virtutes,  
omnesq; res, quæ in Epistolis Ciceronis con-  
tinentur, oratione comprehenderem, adeo  
omnia in ijs sunt plena Ambrosio nectare,  
plena melle fragrantissimo, plena bellariis  
Atticis. Quo magis ridendi sunt homi-  
nes inepti, & ab omni iudicio derelicti, ad-  
eog; bardi, qui nihil, nisi verborum lenoci-  
nia,

nia, nihil, nisi res leues merasq; nugas, in  
Cicerone reperiri, improbissime metiuntur.

Sed video, quid illi de lapide emti ho-  
mines mordicus teneant: quo se iure tue-  
antur: quibus patronis defendant.

Philosophi, inquit, horrent volubili-  
tatem verborum oratoriã, nudisq; symbo-  
lis res, quemadmodum se habent, efferunt,  
adeò, ut verba prius, quam res violanda  
E deserenda censeant. Non dubito,  
Auditores, quin vos ita cogitetis, dum hos  
auditis, audire vos sues in luto ac cœno  
se volutantes. Ille ne Plato? Ille ne  
Aristoteles? duo illi Philosophorum Co-  
riphæi, illinè sordidè, illinè ineleganter phi-  
losophati sunt? Etsi ego, per etatem  
illos non legere, multo minus de ipsis in-  
dicare possum: tamen quid Cicero de  
diminitate dicendi tum Platonicã, tum  
Aristotelicã, multis in locis prædicet:

quid Victorius, quid Muretus, quid  
Maioragius, quid praeceptores nostri in  
hac Academia, de eadem sentiant, igno-  
rare neque possum neque debeo. Atque, ut,  
quae sensu communi de tantis rebus asse-  
qui possum, hac voce mea apud vos ex-  
plicem, sic statuo: miseram esse & sordi-  
dam hominum vitam, si res nostrae, non  
commoditate & usu, sed necessitate tan-  
tum dirigantur. An non lintea tunicam  
fugiens ille Christi discipulus, aut rudibus  
velleribus rustici nostri in Liunia aestum  
& frigus defendere possunt? idque ipsum  
ad vitam, quae paucissimis contenta est, ne-  
cessitatem sufficit? Verum enim vero  
num idcirco vestitus elegantiam vel ipsi ne-  
gligimus, vel in alijs culpamus? Dioge-  
nes Cynicus, cum aliquando vidisset pue-  
rum canam manu bibentem, hic, inquit,  
puer me frugalitate superat: & deductum  
è peram

è perâ poculum ligneum abiecit: nescie-  
bam, inquiens, & in hoc nobis prauidisse  
naturam. Idem, cum alterum puerum,  
vasculo fracto, vidisset cauo panis lenti-  
culam excipere; abiecit & catillum ligne-  
um, ceu superuacaneum. Quod si ne-  
cessitate metiamur res humanas, quis ne-  
get, depellendæ siti, satis esse instrumenti,  
si manu cauâ aquam haurias, aut etiam,  
uti canes solent, linguâ eandem lambas?  
quis cauum panis Diogenicum rideat?  
An verò, quia Diogenes id putauit suffi-  
cere ad necessitatem vitæ explendam, nos  
scyphos, nos aurum atq; argentum negli-  
gimus? nos pateras samias, nos pretiosio-  
rem suppellectilem abijcimus? An, quia  
Diogenes in dolio illo suo, mucido siccoq; pane  
vescebatur, nos magnificas domos  
contemnimus? nos panem primarium,  
pauloq; humaniorem cibi apparatusum fa-

fidimus? Quod autem in vestitu, quod  
in victu, quod in alijs rebus, cum summâ  
utilitate coniunctum videmus, id, pastui  
illi animorum, & præstantissimo in rebus  
humanis thesauro, philosophia derrabe-  
mus? Non profectò hoc fieri sine gravi sce-  
lere potest. Quod etiam exemplis intelli- 4  
gere possumus, cum multi quoq; philosophi  
propter eloquentiam magnoperè laudati  
fuerint, ut Plato, qui tam eximie locutus  
est, ut Iouem ipsum, si loqueretur; ita  
locutum dicerent: ut Aristoteles, quem  
auream, flumen, orationis fundere,  
dixit Cicero: ut Theophrastus, qui diui-  
nitate loquendi nomen inuenit: ut Xe-  
nophon, quem apem & Atticam musam,  
propter orationis suauitatem, appellarunt.  
Contrâ alij, quod elocutionem claram &  
suauem spernerent, propterea sunt impro-  
bati, ut Heraclitus Ephesius, propter ora-  
tionis

tionis obscuritatē, ~~Cors~~ fuit appellatus, ut  
Chrysippus, qui ieiunē & exiliter multa  
conscripsit: ut Scotista, quorū philosophiā,  
nonnulli verē tenebricosam esse asserunt.

Hec cum ita se habeant, tamen illi mo-  
lestē pergunt. Philosophi, inquiunt, cala-  
mistros illos & bullas non agnoscunt, in  
quibus exultare solet Eloquentia: imò,  
ut fucum in puellis, & omnia adultera-  
ta fugimus, ita veri Philosophi eloquen-  
tiam, verborum fucis res adulterantem,  
fugiunt & auersantur. Verū ve-  
hementer errare illos, quis non videt?  
cum eloquentia non tantum magnificum  
sed etiam mediocre: neq; mediocre tan-  
tum, sed tenue quoq; dicendi genus com-  
plexa sit. Quare sit ita: spreta est à phi-  
losophis quibusdam grandis oratio, spre-  
tum est ab illis copiosum amplificandi  
exaggerandiq; artificium, languet in  
illo.

llorum libris vehemens ille, quo cause  
eripiuntur, impetus: quem, non sine gra-  
uissimâ atq; atrocissimâ Eloquentiæ inui-  
riâ, calamistros & fucum vocant; dum  
tamen ab ijs non spreta est oratio nativa,  
facie honestâ nitens; dum plane non offesa  
est eorum oratio, sed vestita etiam carne;  
dum non plane horridus & exilis est eo-  
rum sermo, sed aliquâ etiam elegantia &  
venustate ornatus, res idoneis figuris atq;  
ornamentis illustrans, ut dignitate simul  
& pulchritudine admirationem conse-  
quatur. Quiescat ergo improba vox, que  
hanc dignitatem meretricio nomine cala-  
mistros appellare non erubescit. Matro-  
nalis hinc est dignitas, non pigmenta: orna-  
tus hinc est, qui honestam virginem de-  
cet, non calamistri: necessarium hinc est  
lumen, sine quo rerum bonitas in tenebris  
iaceret, non ornatus peregrinus & accer-  
situs.

situs. deniqꝫ nativa hîc est quasi rerum  
magnarum, de quibus docendi sunt homi-  
nes, facies; non color fucis illitus.

Sed nondum desinunt maleuoli be-  
nè, qui ipsis mos est, dicere: Quid, in-  
quiunt, eloquentiâ turpius, quid magis  
flagitiosum, quid minus in benè constitutâ  
rep. ferendum? pecuniam qui nobis eri-  
piunt studiosè fugimus: eloquentiam,  
quæ elegantia verborum, quasi prestigijs  
veneficijsqꝫ quibusdam, auditoribus ani-  
mos eripit, admittere debemus? Etenim  
laudatus ab oratore statim se & ma-  
iorem, & generosorem, & pulchriorem,  
quàm reuera est, existimat, & apud alios  
præstantiorem se factum putat: idem ab  
oratore persuasus, mirabiliorem quàm  
prius civitatem suam arbitratur: sedetqꝫ  
hæc vox oratoris ad eò altè in auribus eius,  
qui laudatus est, infusa, ut vix tandem  
quartâ

quartâ aut quintâ die post, sui ipsius re-  
miniscatur, & ubinam gentium sit, a-  
gnoscat.

Quid hi aliud, auditores, suâ obiectio-  
ne efficiunt, quàm quod liquidò testantur,  
se ad agnatos & gentiles esse deducendos?  
quanta enim hæc est, quam profitentur,  
stultitia? quanta demencia? quid  
hoc ad Eloquentiam? quomodo impu-  
tandum erit oratori, si is, qui laudatur,  
somniaat, se maiorem esse alijs, & propter-  
ea se effert ac superbit? Rectè Carolus  
13. quintus, Imperator, cum Parisijs, ora-  
tione laudes ipsius depradicante, exce-  
ptus esset, finita oratione, conuersus,  
ad astantes, DEO, inquit, gratias ago,  
si talis sum, qualis describor: sin minus,  
eundem rogo, ut me ad laudem illam,  
quam proximè accedere faciat. Sapien-  
tes enim rerum momenta ponderant, &  
quid

quid dicatur, diligenti examine, perpendunt: quod, si virtutem in se deprahendunt, eam soli D E O acceptam ferunt, sibi nihil tribuunt; interim tamen semper memores triti illius *Æ* lippis ferè, quod dicitur, atq; tonforibus noti versiculi:

*Plus alius de te quam tu tibi credere noli.*

At, qui sitientes sunt gloriae, captatores aure popularis, hi chameleontis instar, qui nullo alio, quam aëre, pascitur alimento, ore semper sunt hiante, delectantur laudibus, capiuntur gloriolâ etiam qualicunq;. Quorum stultitiam oratores interdum ulcisci ita solent, ut datâ occasione, eos mirificè laudent, horum facta in cælum verbis extollant, narrent eorum pugnas, quibus ipsi nunquam interfuerunt. Cum enim orator sit vir bonus, arrogantiam *Æ* vanitatem extremè odit, eamq; carpit.

Quod

Quod quidem ab oratoris officio non est  
alienum. Etsi enim Eloquentia cane  
peius & angue fugit omnem orationis tu-  
mūtatē, maiores res, quam reuera  
sunt, facientem; eamq; damnat, iubetq;  
sedulo cavere, ne pistillum ornemus: ta-  
men duo tempora sunt, quibus oratori  
licet, rem parvam, artificio dicendi ma-  
gnam facere: unum ingenii, alterum ne-  
cessitatis. Si enim ludere, si ingenium quis  
exercere voluerit, in tenui tumorem adhi-  
bere potest, quemadmodū Polycrates fecit,  
qui hominem quendam ignavum & ob-  
scurum ita magnificis verbis extulit, ac  
si Agamemnon rex ille regum esset. Ne-  
cessitas etiam sepe postulat, & suo quo-  
dammodo iure flagitat, rem parvam,  
etiam seriam, dicendo amplificare: ut si  
quid in repub. peccatum sit, quod paruum  
minutumq; videri possit, de quo tamen  
verē-

13

verendum, ne ad scelera maiora fenestram patefaciat. Quod si extra hac duo tempora fuerit, omnino fugienda est oratori, si vir bonus esse velit, tumiditas orationis, custodiendumque decorum, ut res singulas suis verbis commodè exponat, tenuēs humiliter, magnas grauiter, mediocres temperatè. N.

Defatigatus ferè sum, Auditores, recitando calumnias eorum, qui Eloquentiam vituperant, et vos, audiendis illis, credo, quoque defessos. Sed videamus tamen cetera. Quid igitur afferunt illa sale cernita mancipia? nihil plane noui: sed hunc, qui ante multa secula decantatus est, asini cantum: Eloquentiam esse adulationis particulam, peruersamque astutiam, qua innocentes opprimantur, scelesti pœnis eripiantur, in peius consilia ducantur: non seditiones modo popularesque tur- N.

C

ba,

be, sed bella etiã inexpiabilia excitentur,  
ciuitates destruantur, familia pessum  
eant. O os impudens! quis unquam  
Eloquentia ista expensum retulit? Elo-  
quentia, inquam, quæ sibi hoc unicum ha-  
bet propositum, ut DEO grata & homi-  
nibus salutaria pro omni virili dicat: quæ  
doctrinam de DEO, in scriptis propheti-  
cis & Apostolicis compræhensam, rudi po-  
pulo inculcat: quæ eloquia & magnalia  
DEI dicendo tractat: quæ imperia, quæ  
iudicia, quæ summorum regum ac princi-  
pum consilia, quæ uniuersam togatam ac  
penè bellicam etiam administrationem  
gubernat: quæ periculis eripit, quæ opem  
fert supplicibus: quæ perficit, ut fidem &  
iustitiam homines colant. O præclara res  
Eloquentia? tu nobis benè beatèq; uiuen-  
di rationem tuis viribus explicas: tu vitia  
fugienda esse præclare intonas: tu virtutes  
colen-

colendas, sermone graui præcipis: tua de-  
niq; vox magistra illa est & vita & mo-  
rum.

Quod autem aliqui non ad hunc fi-  
nem, sed ad pestem perniciemq; generis  
humani eloquentiam referunt; non ipsi  
arti, verum impostorum improbitati est  
ad scribendum. nam artificum vitia in  
ipsas artes non esse transferenda, omnes  
sani intelligunt. Quod si propter abusum  
hæc tanta & tam diuina res Eloquentia  
esset condemmanda: neq; vinum, neq;  
panis, neq; gladij, neq; ipsum DEI ver-  
bum; quarum rerum magnus est abusus,  
magna profanatio; essent retinenda, sed  
abijcienda.

Elumbis itaque est aduersariorum  
oratio: nihili est omnis eorum calumnia:  
marcidum & putidum est quicquid ad-  
uersus Eloquentiam garrunt.

C 2

Restat

Restat unus scrupulus, qui solet etiam bonos vexare, quem ubi nostris animis exemero, finem dicendi faciam. Sape enim nobis obuersatur hæc cogitatio: non esse operam eloquentiæ dandam, cum rei, quam assequi non possis, vanus sit & inanis labor. quis enim Eloquentiam consequi se posse existimabit, cum ea & nature eximiam bonitatem, & præstantem ingenij diuinamq; vim, & infinitam prope modum variarum rerum cognitionem desideret? Sunt, auditores, hæc vera, negari hæc non possunt. Sed tamen propterea non negligendum est Eloquentiæ studium. An, quia non omnes possunt esse, aut Homeri, aut Apelles, aut Lysippi, idcirco à studijs illis deterrentur homines, ut nemo vel poësi, vel pingendi, vel fingendi arti det operam? præterea, cum rei magna, maximum decus sit, quan-

quantulamcunqꝫ partem tenere: sciamus 11  
hocqꝫ nobis persuadeamus; si non in pri- 11  
mis aut secundis, sed in tertijs saltem con- 11  
sistamus; hoc studium, hunc laborem,  
omni gloriã atqꝫ prædicatione esse dignum.  
Neqꝫ enim tantum laudandi sunt, qui  
omnibus eloquentiæ dicendiqꝫ generibus  
equè excellent, quorum in omni seculo  
paucissimi sunt reperti: sed etiam sua lau-  
de digni sunt, qui in singulis floruerunt.

Itaqꝫ si fulgurare, si tonare, si tempe-  
ratè dicere nobis negatum sit; teneamus  
eum cursum, quem nobis natura, & fre-  
quens diligensqꝫ exercitatio concessit: In  
magnis enim non tantum efficiendi cona-  
tus, sed etiam voluntas laudatur.

Quæ cum ita sint, Auditores, non ullis  
vel voculationibus rugisqꝫ, vel difficulta-  
tibus, nos impediri patiamur: sed omni  
studio atqꝫ contentione ad Eloquentiam  
fera.

11 feramur, alumnâ illam religionis, pacis  
11 comitem, humanitatis & virtutum  
11 omnium formatricem, laudandarum  
omnium artium nutricem & conservatri-  
cem: qua nihil laudabilius, nihil ad salu-  
tem præstantius datum est humano gene-  
ri: eamq; ita discamus, ut DEI gloriam  
nostra voce quisq; pro sua conditione latè  
spargamus, atq; ut humano generi  
beneficiamus: quâ re nulla pictu-  
11 ra est suavior: nulla musica  
11 incundior: nullus con-  
11 centus dulcior.

D I X I.



Quia vacabat vna atq; altera pagella; addita  
sunt quædam Iohannis Simonij Epi-  
grammata.

*Iupiter nunc Taurus, nunc Cuculus.*

Iupiter in brutas quia dicitur esse figuras;  
Crede, etiam diuos, bruta, libido facit.

*Imago Iouis Cretensis sine auribus.*

Aure vtraque caret dictæ Regis imago:

Qui sapit, ad nugas Rex quoque surdus erit.

*Iupiter patrem Saturnum ex societate  
regni decurbans.*

Iupiter è regno canum mouet ipse parèntem:

Fallitur, in socijs qui putat esse fidem.

*Lex Talionis.*

Vt patri absciderat Saturnus, ita amputat ipsi

Inguina post natus: talio tale iubet.

*Iupiter p̄nlv vxorem gravidam deuorans, & pariens  
è capite Palladem.*

Iupiter vt gravidam Metin deglutiit, alto

Mox capite armatam Pallada progeniuit:

Qua nascente aurum Rhodiorum depluit æther,

Tutaque sub cauto cuncta fuere Ioue.

Imbibe consilium prudentum: nascitur inde,

Quaque regas regna & quâ tuare, DEA.

*Iupiter aurum.*

Inclusam vitiat Danaën cur Iupiter aurum?

Expugnanda auro corda vel ipsa patent.

*Orion*

*Orion sibi, non Deo, præstantia gloriam affri-  
bens, ictus à Scorpio.*

Tollit prætumidum ictu Oriona Scorpius vno:  
Qui sapis, id DOMINO, si sapis, haud tibi da.

*Preces Iouis & Themidos filia.*

Cur Iouis & Themidos sunt Litæ e semine? nani

Voce roget si quis supplice, iusta dabit. (Rex,

*Iupiter post victorias insignes insigniter libidinosus.*

Res agit atq; orbem victricibus occupat armis;

In scelera at deses Iupiter ecce furit.

Virtus in pulchro conseruat pectore pulchram

Mentem, quam perdit noxia segnities.

*Iouis cubicularij pudor & aquitas.*

Stant Pudor, atq; Æquū magni Iouis atria circum:

Nempe bonum Regem subdita turba colit.

*Iupiter Cygnus.*

Tyndaridæ cygnus stuprum cui Iupiter infert?

Nemo simul quit Rex esse, vbi turpe facit.

*In Barrum otiosum.*

Non potis est libertatem defendere, qui non

Interdum est captans otia, Crassus ait.

Legerat hæc Barrus, calamoque librisq; remotis,

Ergo nihil faciens iam Baro, dixit, ero.

Nil tractat Barrus: faciendo nil alienas


Permolere vxores furtaq; discit iners.

Percupit esse Baro Barrus, scelerumque magister

Figitur: ha' nunc i, Barre, Baroque lies.

**F I N I S.**









Or  
Tollit  
C  
Cur Io  
V  
Iupiter  
Res ag  
I  
Virtus  
M  
Stant  
M  
Tynd  
M  
Non p  
I  
Leger  
E  
Nil tr  
E  
Percu  
E



o, praestantia gloriam affri-  
ictus à Scorpio.  
ictu Oriona Scorpius vno :  
OMINO, si sapis, haud tibi da-  
is & Themidos filia.  
dos sunt Litæ e semine? nam  
uis supplice, iusta dabit. (Rex,  
s insignes insigniter libidinosus.  
victoricibus occupat armis ;  
es Iupiter ecce furit.  
onseruat pectore pulchram  
n perdit noxia segnitias.  
arij pudor & aquitas.  
Equi magni Iouis atria circum:  
Regem subdita turba colit.  
piter Cygnus.  
stuprum cut Iupiter infert ?  
it Rex esse, vbi turpe facit.  
arrum otiosum.  
tem defendere, qui non  
ptans oria, Crassus ait.  
calamoque librisq; remotis,  
ens iam Baro, dixit, ero.  
faciendo nil alienas  
res furtaq; discit iners.  
arrus, scelerumque magister  
inci, Barre, Baroque lies.

N I S.